

N. h. II, 355^a

h. 69, 8.

II K
3932

DE

MAGIA E CRIMINVM SERIE
PROSCRIBENDA.

PRAESIDE
ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO
KLVGEL

PHIL. ET I. V. D. DIG. INF. ET NOVI P. P. O. CVRIAE
PROV. ELECT. SCAB. ET ORD. ICTORVM WITTENB.
IVDICII ITEM PROVINC. IN LVSATIAE INFER.
MARCH. ASSESSORE ORD.

D. XX. MARTII A. O. R. MDCCLXXXVIII
H. L. Q. C.

PVBlice DISPVtATVRVS EST

A V C T O R
CAROLVS FRIDERICVS SCHOENE
GÖRLICENSIS.

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

12. 10. 18. 18.

18. 10. 18.

MAGIA E CRIMINUM SERIE

PROSCRIBENDI

FRASER

FRASER'S HISTORY OF THE

WITCHES

OF SCOTLAND

FROM THE EARLIEST

TO THE PRESENT

BY

FRASER

ESQ.

EDINBURGH

1818

WITCHES

OF SCOTLAND

FRASER

ESQ.

EDINBURGH

1818





I.



uid sit statuendum de magia multi multa prodiderunt memoriae. De origine illius iam veteres sunt commentati. Instar omnium Plinius esto memorabili loco.^{a)} „*Natam primum (magiam) e medicina nemo dubitat ac specie salutari irrepsisse, velut altiore[m] sanctioremque medicinam: ita blandissimis desideratissimisque promissis addidisse vires religionis, ad quas maxime etiam nunc caligat humanum genus. Atque ut hoc quoque suggererit miscuisse artes mathematicas nullo*

A 2

non

a) Plin. Hist. Nat. L. XXX. c. 1.





non auido futura de sese sciendi, atque ea e coelo verissime peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo in tantum fastigii adoleuit, vt hodieque etiam in magna gentium parte praeualeat et in Oriente regibus imperet. Sine dubio illic orta in Perside a Zoroastre, vt inter auctores conuenit. Sed utrum hic vnus tantum fuerit an postea et alius, non satis constat.“

II.

Certum hoc est atque indubitatum illi, qui recte leges viresque naturae cognoscit magnas, posse his legibus multa fieri, quae vulgi captum superant. Qui vero Mathesi et reliquae philosophiae studet, per plures res experiendo anquirendoque effici posse, reperiet, quae homo imperitus ac superstitiosus cum stupore miratur. Quae enim viri, iique doctissimi per occultas naturae vires effecerunt, ea haud minimam hominibus praeconceptis opinionibus deditis occasionem dedere, statuendi quid naturae vires superans. Vnde factum est, vt eiusmodi ingenii opera magicis artibus, adiutore malo quodam spiritu, inuentis, adscriberentur, et sub vno cum his nomine comprehenderentur. In significatione igitur latiori, magia est ars, effectus, qui viribus naturae superiores videntur, produ-



producendi, seu aliquid efficiendi, quod a consueto ordine naturae alienum putatur. Iam, cum deinde manifestum fieret, multa ex legibus naturae eiusmodi, quae paucis vel vni tantum sunt cognitae, proficisci, necessarium fuit, vt, si nomine communi retento, distinctione separarentur ea, quae natura operantefunt, ab his, quae ne occultae quidem eius vires producere possunt. Cum ergo homo, vel sola mentis vi per res naturales, vel ope daemonis hoc conficere dicitur, illam naturalem, eamque permissam, hanc daemoniacam magiam et prohibitam nominare licet. Non quidem dubium est, quin is etiam puniri debeat, qui aliis hominibus siue dolo, siue culpa magna, quamuis solius naturae operatione occulta damnum attulit, si, id factum esse probetur. Cum enim, qui nocuit dolo vel culpa sua, cum eiusmodi effectus naturales produxit, qui omnibus noti sunt, veluti, si quis carbonem candentem immittens in fenum incendium effecerit, non possit sine poena dimitti, neque aliquam causam habeamus, qua, vtrum omnibus, an quibusdam tantum vires naturae inclarescant, ratione eius, qui eas scit, discrimen statuendum sit, qui possumus credere, hunc, qui per occulta naturae damnum dedit, crimine esse infontem, quem



imo nonnulli, quippe quod incognita difficilius evitantur, duriori subiiciunt poenae. Verumtamen mihi iam de hac naturali magia, quae certe improprie magia dicitur, non est sermo, exemplis illa quidem insignibus, et sehroepferianis similibus, illustrata a Wieg-
lebio^{b)} et Funkio, sed tantum de Magia daemoniaca.

III.

Secundum Iureconsultorum et omnium, quorum interest, opinionem Magia daemoniaca est crimen, quo quis commercium peculiare cum diabolo habet. At hic primum quaeritur, num, ut huiusmodi magia locum habeat, fieri possit? Omnibus temporibus fuisse fraudatores legimus, et fanaticos, qui ignaros rerum naturae in errores ducerent maximos, et consuetudinem, imo etiam familiaritatem cum spiritibus homine maioribus iactarent, quorum auxilio, praeter naturae ordinem hominibus, bestiis, frugibus damnum adferri et tumultus in aedibus excitari possit. Quid, quod ad augendam religionis praestantiam, impuri generis fraudes, saepius ineptissimas, finxerunt, et hac ratione alios fallere, et eorum animos disturbare sunt conati.

b) *in der natürlichen Magie.*



nati. Neque id Romae solum est olim factum, atque apud Aegyptios vel hodie apud Samoiedas, sed etiamnum inter gentes integras, quin ipsos philosophos, fabulis et effatis ridiculis, in errorem inducant turpem, omnem mouent lapidem. Baco quidem de Verulamio, Balthasar Becker, Christ. Thomasius, et alii in eo fuere multi, vt has aniles nugas e finibus humani generis exterminarent, et philosophiae discipulos conciliarent. Attamen multi alii, id egerunt, ne doctrina de istius daemonis fallaciis extirparetur, quin potius eius regni fines latius extenderentur. Inter quos etiam magna viri auctoritate inueniuntur, qui per veteratores in fraudem se duci sunt passi.

IV.

Sed quid non potest antecapta auctoritatis, antiquitus praesertim, traditae, opinio. Nam breui post religionem a Christo conditam doctores; philosophia praesertim Platonica atque orientali duce, daemonibus plus tribuerunt, quam codex sacer liquido monstrat. Neque enim modo secundum horum hominum doctrinam homines innumeralibus modis deceperunt ad flagitia, e natura vitiosa prauisque moribus satis explicanda,



canda, verum vis eorum per totum fere orbem patuit, non in animantes modo, sed etiam in res inanimatas. ^{c)} Auxerunt inanem vanitatem tenebrae medii aevi, quo, monumentis diuinis neglectis, haec fuit credulitas in lucro posita, et scholasticorum subtilitate, talium nugarum modos exponente, limata. Inde spectra, obsessi, magi, cumulati, et commenta adeo insana multiplicata, vt, ingenium humanum eo stultitiae progredi, vix credibile videatur. Quibus fabulis assuesfacti patres maioresque, hanc imbecillitatem deponere mox non potuerunt, donec aetas nostra effata diuina melius perpendit, scientiam naturalem diligentius coluit, ex historia subdola mendacia ac dolos didicit, ipsoque vitae vsu malitiam deprehendit. Nunc sunt capita non solis vetulis salua, sed etiam hominibus eruditis, quorum sollertiam cum plebs non caperet, vt Naudaeus singulari libro probauit, hos magorum numero habuit.

V.

Sed redeamus ad quaestiones, num magia possit esse, ac nunc sit? Priorem relinquamus philosophis,

qui,

^{c)} vid. D. Hauberi bibliotheca magica.

qui, cur, et quomodo, res esse possint, indagant. Posteriorem Thomafius ^{d)} cum primis pertractauit, et, exempla quam friuola sint allata, demonstrauit. Cum vero aetate adhuc nostra hoc multi in malam interpretentur partem, et, contra codicis sacri esse auctoritatem, contendant, huc quaedam in medium afferre, est animus. Si itaque Deus hoc vniuersum perpetuis fundauit legibus, fieri non potest, vt mali daemones pro lubitu hunc turbent ordinem, conuenientiam et rationem. Num legislator sapiens, quas leges iussit, libidini petulantium ingeniorum et consccleratorum concedet, quandoque velint, migrandas! Profecto periculosa et anticipites animantibus futurae essent hae perturbationes geniorum malitiosorum! Quam facultatem si Deus istis in orbem terrarum dedisset, nonne saepius ipse anteuertere incommoda cogeret, et mira multiplicare? At hoc ipsum sapientiae repugnat diuinae, quae, sicut optimam rerum colligationem selegit, sic eam, nisi quid opus est, seruat. Cum igitur immediate prohibere vellet vires daemonum in effectu, etiam per miraculum hoc fiat necesse esset. Praeterea, si daemones in corpora agerent, multa inopinata, **B** quae

d) de Crimine Magiae.



quae secundum naturae ordinem argumentis certis non essent probanda, existerent. Sed tempestates, tonitrua, pluias, ventos, praescriptas naturae leges et semel constitutum naturae tenorem semper sequi, non ignoramus.

VI.

Pristinis saeculis artem magicam et praestigiatorum facta per adiumentum proximum malorum daemonum in corpora demonstrabant superstitiosi. Quibus autem rationibus hanc facultatem assequi poterint, minime perficere potuerunt. Diabolus vetulas, harum precibus, mutauit in lupos, et alia bestiarum genera, per aerem scopis aut ab hircis transuehi iussit, et mortuos arbitrati suo tanquam viuos in conspectum producere potuit. At memoria nostra, quis sanus his fidem habet, philosophiae ac rationis ipsius praeceptis, innutritus! Omnes fere in eo consentire videntur, Deum omnibus animantibus, ad ideas excitandas, instrumentum sentiendi tribuisse. Superuacanea ergo structura oculorum et reliquorum sensuum foret, si omnia haec per daemonum potentiam effici potuissent. Praeterea sensuum certitudo ad hominum cetero-



ceterorumque animalium actiones dirigendas est pernecessaria, et nihili esset existimanda, si per daemónicas fraudes haec posset perturbari. Iudices, ante Thomafii tempora, hac daemonologia imbuti, quot huic doctrinae sacrificia fecerunt! et superstitione sanguinaria, quot innocentes magiae daemónicae accusati sunt, atque ad ignem damnati! Quae cuncta tempora nostra auersantur, rarissimeque haec crudelitas auditur. Vel ipsos Pontificiorum nonnullos huius faeuitiae pudet. Ex his afferam Patrem Spee, qui plures ad rogam comitatus, horum innocentiam tandem perspexit, cautionemque criminalem circa processus contra sagas edidit, eoque libro plures monuit principes, vt sanguini humano parcant. Plura de eo Leibnitius *) commemorat.

VII.

Supereft locus alius, num daemones praestigiatorum imperata facere cogantur? Plurimum homo sibi fingunt diabolnm tenebrarum principem potentem, qui coelum terramque mouere atque homines per ae-

B 2

rem

e) in Theodicea, P. I. §. 96 seq.



rem transducere possit; et tamen magorum vetularum-
 que insipientium iussis minutissimis in rebus obsequi
 debeat, ita ut ei omnibus modis mira cum voluptate
 illudant: alii contra, eiusdem amicitiae nefariae parti-
 cipes, saepius ne habeant, unde vivant; adeptorum
 instar, qui philosophorum lapidem et principium prin-
 cipii se inuenisse praedicant, semper tamen aere egent
 et interdum fame perire coguntur. Quum vero ple-
 rumque ii, qui diabolum in sua se potestate habere
 comminiscuntur, sint homines vagi atque errantes,
 fraudatores aliique generis eiusdem; animi pusilli fo-
 ret, illorum factis dictisque ostentationis plenis fidem
 habere. Quenam vero sunt remedia, per quae dia-
 bolus ab istis hominibus compellitur? Sunt verba, e
 diuersis linguis excerpta, ut *Abracatabra*, eaque cum
 confusis gestulationibus aliisque signis in istis nego-
 tiis adhibita etc. ne plures naenias accumulem! Ec-
 quae tandem haec subsidia? quibus ne canis et felis
 quidem adigi possunt, multo minus diabolus tam prae-
 potens et magnus, ex horum homuncionum senten-
 tia, spiritus. Nullus tamen dubito, quin plures sint,
 qui tamen potentatum diaboli, omni, qua fieri pot-
 est contentione, defendant, neque illum de gradu di-
 gnita-

gnitatis detrudere audeant, et quae fraudatores saepe fecere aut dixere, tanquam pro certissimis effatis venditent; qui melius facerent, si operam darent, ut per bonam institutionem ex hominum animis pellerent iracundiam, dolum, vindictam atque invidiam.

VIII.

Magia daemoniaca ergo secundum opinionem Iureconsultorum et Theologorum veterum consistit in commercio et pacto cum diabolo, vel expresso, vel tacito. Carolus V. in ordinatione sua, ^{f)} in hoc crimen, si hominibus rebusue illorum damnum est illatum, rogi poenam statuit. Interpretes vero multi, praesertim antiquiores, Carolinae, illis, qui pactum expressum cum diabolo inierunt, siue damnum exinde sit adlatum cuidam, siue non, ignem; sed poenam gladii, qui artibus diabolicis magiam exercere noxiam, imposuerunt. Iure Saxonico Electorali, interpretes hos Constitutionis criminalis Caroli V. secuto, quoque illum, qui diabolo se mancipavit, et societatem cum illo habuit, etiamsi nemini nocuerit, poe-

B 3

na

f) Artic. 109.



na ignis manet, et qui sine expresso foedere cum diabolo arte magica nocuerunt, vel solummodo arte diabolica diuinare vel responsa consulentibus dare et artibus magicis uti, sunt ausi, gladii poena afficiuntur. Verum enim vero haec poena magiae diabolicae, si hoc verbum ut addatur, necesse est, omnino abroganda est, si, quam sit vana conuentio cum impuro genio, et quot in ea re tradenda fallaciae intercesserint, animo consideres. Eaque ipsa de causa magia illa, quae daemoniaca dicitur, e criminum serie plane est extirpanda. Hoc nostris temporibus multi etiam, et Iureconsulti et Theologi tradiderunt, quamuis non desint adhuc, quibus contrarium placeat, minus audiendi, ubi ratio et diuina monumenta ipsa aliud suadent. Quod si verum est, magiam non dari, manifestum est, poenam eam sequi non posse. Quae enim magica habentur, nec tamen sunt artis, qua occulta naturae applicantur, ea omnia vel ad crimen falsi, vel stellionatus, nonnunquam ad alias delictorum classes erunt referenda. Quamobrem, si alia non concurrant, hi, qui magiae accusantur, tanquam vel superstitiosi, Philosophis, qui eos in gyrum rectae rationis et doctrinae ducant, tradantur; vel melancholici,



lici, a Medicis eurentur; vel denique omnis generis
fraudatores, ergastulo coerceantur. Plura persequi,
temporis, quo circumscribor, fines prohibent, et
haec tantum disputandi gratia scripisse sufficiat.




ORNA-


AK T 13932

X 30354 8A

ORNATISSIMO
CAROLO FRIDERICO SCHOENE
PRAESES

Quo perspectior mihi est animi Tvi integritas, castitas morum, qui Te ornant, Tvvque in addiscendis scientiis ardor, eo maiore me voluptate perfundebas, cum nunciare voluntatem Tvam, qua me Tibi in disputatione publica destinaveras comitem. Sumfisti, quam defenderes, materiam nostris temporibus satis accommodatam, quibus, nescio quae, occulta et abscondita et finguntur et fiunt. Laudo maximopere propositum, quo in publicum prodire noluisi sine scripto, quod ipse elaborasses. Libellum tamen hunc Tvvm paene intactum Tibi reddo. Scis enim illam temporis angustiam, qua, etiam, si quae forte necessariae fuerint mutationes, me, occupatum praeterea in tot laboribus, circumscribere Ipse coactus fuisti. Verum enim vero nullus dubito, quin sis pro ea, qua polles, virtute doctrinaeque copia, Ipse omnia, quae scripsisti, perbene defensus. Faxit summus rerum humanarum Arbiter, vt cunctis istis macteris praemiis, quae et diligentiae Tvae, et suavitati, et caeteris virtutibus respondeant. Vt vero me quoque porro ames, vehementer opto. Scr. in Academ. Wittenbergenfi d. xvi. Martii a. r. f. cIdIoCCLXXXIX.





N. h. II, 355a
h. 69, 8.

PK
3932

DE
MAGIA E CRIMINVM SERIE
PROSCRIBENDA.

PRAESIDE
ERNESTO GODOFREDO CHRISTIANO
KLVEGEL

PHIL. ET I. V. D. DIG. INF. ET NOVI P. P. O. CVRIAE
PROV. ELECT. SCAB. ET ORD. ICTORVM WITTENB.
IVDICII ITEM PROVINC. IN LVSATIAE INFER.
MARCH. ASSESSORE ORD.

D. XX. MARTII A. O. R. MDCCLXXXVIII

H. L. Q. C.

PVBlice DISPVTATVRVS EST

A V C T O R

CAROLVS FRIDERICVS SCHOENE

GÖRLICENSIS.

WITTENBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIE.